28. *Axis penicilli, vel coni radiosi, est ille radius, qui ad superficiem speculi, vel lentis, est rectus.*

29. *Imago prima, est illa, quæ immediatè ab oculo videtur; imago secunda, illa quæ mediante imagine prima ab oculo videtur; & sic deinceps: Imago autem ultima, est imago visibilis primò projecta, & ideo mediantibus omnibus reliquis, in oculum allata.*

30. *Radii imaginis primæ, secundæ, tertiæ, ultimæ, &c. sunt illi, qui ad imaginem primam, secundam, &c. convergunt, vel ab iisdem divergunt.*

31. *Vertex incidentiæ, imaginis primæ, secundæ, tertiæ, &c. est vertex incidentiæ, illius lentis, vel speculi, in quam incidunt radii, imaginis primæ, secundæ &c. & eodem modo vertex earum emersionis, est vertex emersionis lentis, vel speculi, ex quâ emergunt earum radii.*

32. *Telescopium, est machina optica, ex lentibus, vel speculis, communem axem habentibus, composita; longinquorum efficiens accuratam visionem.*

33. *Microscopium, est machina optica, ex lentibus, vel speculis, communem axem habentibus, composita; propinquorum efficiens accuratam visionem.*

34. *Icoscopium, est machina optica, ex lentibus, vel speculis, communem axem habentibus, composita; visibilium imagines in plano depingens.*

35. *Pertinens ad imaginem primam, secundam, tertiam, &c. est speculum, vel lens, projiciens imaginem primam, secundam, tertiam, &c.*

36. *Presbyti sunt, qui remota distinctè vident; propinqua confusè.*

37. *Myopes sunt, qui remota confusè vident; propinqua distinctè.*